



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 2. Modum suæ rei imponere cuivis licitum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Sensus.

Hoc est, contractuum Natura & qualitas non tantum forma à Legibus præscripta, sed etiam ex conditionibus quas ipsi contrahentes apposuerunt, desumenda est, conditione talis à legibus non reprobetur, uti reprobatum est de dolo in le. Contractus 23. ff. de reg. Juris.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. ult. reg. 85. & ex l. 1. de conveniat. ff. de deposito. illudque plurimi apud & cum Gobat. axiom. 57. n. 1. defendunt.

Ratio.

Quia actus agentium non operantur ultra intentionem, ergo non potest aliquis ultra limites illos, quos sibi ipse assignavit, obligari, atque adeo si certas condiciones contractui apposuit, ex harum ille natura metiendus est.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etsi per se, & vi Matrimonii non obligetur maritus ad certum locum inhabitandum, non potest tamen eum à loco certo recedere (nisi causa prius non prevista superveniat) si in pactis matrimonialibus talis loci habitatio constituta est, uti Laym. l. 5. tr. 10. pa. 3. c. 1. n. 1. cum Sanch. Navarr. Saa, Soto & aliis docet.

Deducitur 2. Etsi Depositarius ex natura contractus tantum de culpa lata & dolo teneatur, posse tamen eum etiam de culpa levi, & casu fortuito conveniri, si ita conventum sit, ut in le. 1. §. Si convenit. ff. de deposito. Item in cap. de deposito deciditur.

Deducitur 3. In Indulgentiis omnes illas condiciones sentiales esse, quas Prælati legitima voluntas apponit, quod indulgentiæ sint contractus quidam innominatus, quod datur aliquid, ut alter vicissim det, vel faciat aliquid. Ita Gobat in thes. Indulg. p. 1. n. 140.

PRINCIPIUM II.

Modum suæ rei imponere cuivis licitum est.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis dispositionem aliquam facit,

est, quascunque vult, condiciones adjungere, sine quarum
completione hoc ipso invalida sit dispositio, modò aliunde
adstringatur ad eam dispositionem absolutè & independen-
ter ab ulla conditione faciendam, uti fit in Sacerdote, qui
potest sine rationabili causa sub conditione absolvere, &
secrare.

Authoritas.

Desumptum est ex le: in traditionibus. 48. ff. de pactis,
dicitur: In traditionibus rerum quodcunque pactum sit,
valere manifestissimum est. Illudque refert, & approbat
Gobar p. 1. thes. Indulg. n. 140.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd quisque supponatur habere domini-
um liberum suæ rei, atque ad eò plenam de ea disponendi fa-
cultatem, potest hâc facultate sua uti ad quemcunque actum
applicandum, ad quem se eadem facultas extendit; atqui
libet conditio apta est constituere, diversum actum; er-
go ad quemvis actum ab ea dependentem dicta facultas se
extendit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Pontificem in Indulgentiis conceden-
do quoscunque opera exigere posse, quæ sint condiciones
essentiales, sine quibus nemo obtinere possit eas indul-
gentias, uti ipsa praxis, & communis Theologorum consen-
sus confirmat.

Deducitur 2. Licet in Sponsalibus contrahendis apponi
pacta, quibus securitas Matrimonii procuretur, uti Sanchez.
lib. 1. n. 2. & alii apud & cum Ferd. de Castro p. 5. du. 1.
n. 2. & 3. docent.

Deducitur 3. Testatorem posse Testamento suo varias
conditiones inserere, modò non sint Juri contrariæ, uti esset,
si quem ita instituere in re certa, ut nollet eum succedere
illis bonis, & tamen vellet hæredem esse, uti colligitur ex
l. 1. Hæred. de hæred. inst.